



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 144. Apostasia, & fuga in Angliam Marci Antonii de Dominis
Archiepiscopi Spalatensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. quibus id negotium dedi, eorum ordines &
A. C. 1616. gradus rescivero.

§. CXLIV.

*Apostasia & fuga in Angliam Marci
Antonii de Dominis Archiepiscopi
Spalatensis.*

Jæger. Hist. Eccles. L. 6. cap. 1. **H**oc anno desertor impius Marcus Antonius de Dominis a Catholicis ad Calvinianos, & ex Italia profugit in Angliam. Hic patria Venetus originem traxerat ex illustri *Dominiorum* Familia, quæ cognatum sanguinem a Gregorio X. deducit. Juventutis studia excoluit in quodam Collegio Jesuitarum, qui ingenii sui præstantia, necnon literaria diligentia decepti ipsum ad Societatem suam pellexerunt, ubi post biennis tyrocinii decursum in politioribus studiis tantum profecerat, ut inveniendi subtilitate, facundiæ copia, singularisque cujusdam eruditionis fama, cum primis eniteret, postea Theologiæ peritia locupletatus Veronæ humaniores literas, Brixix Rhetoricam & Philosophiam, necnon Patavii Mathesin tradidit, sed sensim Novitates opinionum amare, & divi Thomæ Aquinatis doctrinam spernere cœpit, quo fiebat, ut pestifera errorum semina compluria in sinu suo, haud observatis tamen

men, reconderet : cum autem præter Sæc. XVII.
innatam mentis inquietudinem, ac ve- A. C. 1616.
cordiam, popularis auræ studio præci-
pue deditus esset, atque in suo sensu
contra Superiorum placita abundans,
cuncta ad nutum, arbitriumque suum
fieri postularet, & non nisi mitras, Inful-
las, & Pontificias spiraret cathedras,
arrogantia sua ceteris Sociis, apud quos
tum ejusmodi apices ambire, adhuc ne-
fas erat, intolerabilis factus e Societa-
te ejicitur : Porro Romam delatus &
Aldobrandini Cardinalis patrocinio suf-
fultus, a Clemente VIII. anno Christi
millesimo quingentesimo nonagesimo
sexto Signiæ Episcopus, ac demum
procurante Borgefio Cardinale sexto post
anno Spalatensis seu Salonitanus Archi-
præsul, & Dalmatiæ, ac Croatiæ Pri-
mas eligitur, non tam ut honoribus au-
geretur, quam ut a Romana urbe ob
publicam populi offensionem amoveretur;
quippe animum, quem per inte-
gros viginti annos composito foris cultu
dudum texerat, voluptatibus carnis de-
ditissimum habebat, & quod plus est,
noverat ad arbitrium suum, cassesque
suas trahere non vulgares tantum fœ-
minas pudorem prostituere suetas, sed
& nobilissimas uxores : unde Bocalino
familiari suo dicere solitus erat, nihil
se majoris æstimare, quam sexus fœmi-
nei

Sæc. XVII. nei favoribus frui: cuidam etiam nobi-
 A. C. 1616. li fæminæ, quæ, remotius tamen, Lan-
 tio & Melino Cardinalibus sanguine
 juncta erat, suum dicabat affectum, &
 cum ea talia perpetrabat, quæ indigna
 sunt laico, nedum Sacerdote: inde ve-
 ro in se utriusque hujus Cardinalis in-
 vidiam accerferat, ac sibimet ipsi viam
 præcluserat ad exteras legationes & per
 eas ad Romanam purpuram, cui, cum
 natura ambitiosus esset, immodice in-
 hiabat. Post aliquot annorum decur-
 sum in litem, controversiamque super
 Ecclesiæ Spalatinæ juribus & redivibus
 cum alio Præsule incidit, ubi vero caus-
 sa cecidit, datos Judices nummis cor-
 ruptos esse, temere incusans, fursum
 deorsum omnia vertere, miscereque, ac
 passim clamitare, *nullam in Ecclesia justi-
 tiam, nullam, ne Romanis quidem tribuna-
 libus curam legum, & æquitatis esse: nec
 illic rerum Divinarum esse fidem posse, ubi
 nulla esset humanarum sinceritas*: Cum au-
 tem Romæ de variis, gravibusque cul-
 pis apud Pontificem accusaretur, eo
 contendit, ut ejus gratiam recuperaret:
 in itinere autem in duos Anglos Pro-
 testantes incidens, ac cum ipsis varios
 de Religione sermones conferens, cum
 eorum unus hominem in quavis Reli-
 gione salvari posse propugnaret, respon-
 dit Marcus, *ad quid ergo serviunt tot Re-
 ligiones*

ligiones? cui respondit Anglus, ut ve- Sæc. XVII.
 rum sit Christi effatum: *in domo Patris* A. C. 1616.
mei multæ sunt mansiones. Replicuit au-
 tem Marcus, *oportet igitur, ut quilibet*
persistat in domo sua: imo regessit An-
 glus, ceterum tutissimum est eam eli-
 gere Religionem, quæ magis a ruinæ,
 atque errandi periculis remota est. Hæc
 responsio, quæ tamen a quovis Catho-
 lico etiam rudi enervari potuisset, mi-
 feri Spalatensis animum adeo obsede-
 rat, ut integro semestri, quo Romæ
 degebat, cum Lutherano quodam in-
 quietas suas, quibus volutabatur, opi-
 niones curasque excoqueret, ac demum
 indignatione ex eo concepta, quod a
 Papa & Cardinalibus minus honorifice
 exceptus fuisset, Roma excessit, dela-
 tis vero contra ipsum sex accusationis
 capitibus, paulo post partes suas defen-
 dendi causa, ex itinere revocatus est:
 Insimulabatur enim, quod Venetos in-
 iuste anathemate percussos fuisse asse-
 ruisset, literarium commercium cum
 Paulo Sarpio haberet, in Romanam
 aulam, nimitius cum eo ageretur, minas
 intentasset, cum variis hæreticis versa-
 retur, supine Divina officia perageret,
 Sacramenta contemneret, alienumque
 a piis exercitiis animum demonstraret,
 ac denique coram pluribus dixisset,
 quamlibet Religionem ei, qui pie vivit,
 esse

Sæc. XVII. esse accommodam. Attamen cum va-
 A.C. 1616. lidæ ad convincendum causæ defuif-
 sent, omne illud mali virus animo jam
 tum concepit, quod paulo post evomuit,
 hinc in Dalmatiam reversus, omnem
 suam suppellectilem, necnon & vasa
 Sacra, nemine id advertente, vendi-
 dit, atque ex iis quindecim millia Thale-
 rorum corrasit, quorum tamen potissi-
 ma parte a suo famulo spoliatus, opem
 cujusdam Angli implorabat, qui etiam
 eidem Calvinianæ sectæ amplectendæ
 auctor extitit: neglecto igitur illo Lu-
 therano, qui eum ad suam quoque Se-
 ctam pertrahere frustra adlaborabat,
 tum se dedit Calvinistæ Anglo, qui
 Marco opibus suis, quibus summopere
 indiguit, potenter adstitit, eumque
 Mense Novembri deposito Sacro habitu,
 detonsisque capillis gladio præcinctum
 ex Illyrico in Germaniam, inde in Hol-
 landiam ac denique in Angliam comi-
 tatus est, ubi ineunte anno sequenti
 Marcus Londini a Jacobo I. Anglorum
 Rege liberaliter exceptus, habitusque
 est, ac paulopost publice Romanam fi-
 dem in Templo Divi Pauli abjuravit,
 præsentem eodem Rege, ingentique po-
 puli multitudine. Apparuit autem pri-
 mo ante Aram indutus habitu Archie-
 piscopali, quem ad majus ludibrium de
 industria Londini sibi confici curabat,
 postea

postea abjecte procidens in genua ad pedes Joannis King Pseudo - Episcopi ipsum, *quid peteret*, interroganti respondit, *desidero abjurare Romana Sacra, tanquam Babylonica, & recipi in communionem purissimæ Ecclesiæ Anglicanæ*, quibus dictis Marcus mitram Episcopalem capiti detrahens, habitum illum projecit, aliumque Præconum more induit.

Sæc. XVII.
A. C. 1616.

§. CXLV.

Apostasiæ Rationes ab ipso Marco Antonio allegatæ.

Hujus Apostatæ fuga sero Romæ innotuit, qua tamen comperta Pontifex nil intentatum reliquit, ut vestigia fugæ legerentur, nihil tamen præter incertos rumores deprehensum, tandem duæ ab ipso Spalateni exaratæ advenerunt literæ, altera ad Pontificem, altera ad Cardinales, in quibus apostasiæ suæ rationes afferebat, quæ tamen re ipsa haud aliæ erant, quam quæ omnibus ferme ejusmodi Desertoribus communes hucusque fuere, nimirum libido, atque ambitio. Ipse vero in quodam scripto publici juris facto sequentes allegabat rationes, asserens, quod per integrum triennium nec hæreticorum libris seductus, nec humanæ dignitatis spe sollicitatus, suum spiritum

*Merc. Gal-
lob. l. 6.
Jæger. pag.
199.*

Hist. Eccles. Tom. LV. Nu tum